

## C. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA

Duos cum haberet Demea adolescentulos,  
dat Micioni fratri adoptandum Aeschinum,  
sed Ctesiphonem retinet. hunc citharistriae  
lepore captum sub duro ac tristi patre  
5 frater celabat Aeschinus; famam rei,  
amorem in sese transferebat; denique  
fidicinam lenoni eripit. vitiaverat  
eidem Aeschinus civem Atticam pauperculam  
fidemque dederat hanc sibi uxorem fore.  
10 Demea iurgare, graviter ferre; mox tamen  
ut veritas patefactast, ducit Aeschinus  
vitiatam, potitur Ctesipho citharistriam.

---

### PERSONAE

(PROLOGVS)	SOSTRATA MATRONA
MICIO SENEX	CANTHARA ANVS
DEMEA SENEX	GETA SERVOS
SANNIO LENO	HEGIO SENEX
AESCHINVS ADVLESCENS	DROMO PVER
BACCHIS MERETRIX	STEPHANIO PVER
PARMENO SERVOS	PAMPHILA VIRGO
SYRVS SERVOS	(CANTOR)
CTESIPHO ADVLESCENS	